

*Vt homines appareant in forma Angelorum.*

Accipe oculos piscis, & oculos filioe id est frangentis ossa, & contrita eos manibus maccando, & pone eos in vase vitreo septem diebus, deinde pone in eis aliquid de oleo, & illumina cum eo in lampade viridi, & pone ipsum coram hominibus qui sunt in aede: Ipsi enim videbunt se in forma angelorum ex igne accenso.

*Vt homines appareant in forma foeda, & terrentur invicem homines, & faciunt ipsum fingentes demonem.*

Accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non sit albedo, & aliquid ex pinguedine ejus, liquefac pinguedinem. Deinde accipe pannum eseqviarum, & fac deinde licinium: Deinde line ipsum cum eo quod fecisti, & illumina ipsum in lampade viridi cum oleo sambucino, & accende ipsum in domo, & non sit ibi licinium praeter ipsum, & videbis mirabile.

*Vt homines videantur se invicem sicut imagines & lapides.*

Accipe zimat & tere bene, & accipe pannum funeris, & madefac ipsum cum pinguedine piscis, aut cum oleo sesamino puro, pone ipsum in lampade viridi, & pone super ipsum ex illo medicamine contrito rem parvam, & fit mirabile.

*Vt homines videant se invicem omnes infirmos ex vehementia infirmitatis, & extenuationis.*

Si acceperis pilos asturis, fiet inde licinium, & quando accenditur, erit quod dico.

*Vt homines appareant nigrarum facierum.*

Accipe lampadem nigram & funde super ipsam oleum sambu-